



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **OSOGBOANA**\* IN NIGERIA NOVA CONDITUR  
DIOECESIS OSOGBOANA Ad aptius provehendum spirituale bonum et efficacius consulendum simul pastorali regimini  
Christifidelium Nigeriae commorantium intra fines Oyoënsis dioecesis, nuper est petatum ut, eadem divisa, nova  
constitueretur Ecclesia nomine Osogboana. Quapropter Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules  
Congregationi pro Gentium Evangelizatione praepositi, re mature perpensa auditisque eorum, quorum interest, votis,  
admotam postulationem censuerunt esse accipiendam. Nos igitur, pro summo, quo fungimur, munere de omnibus  
Ecclesiis particularibus solliciti, talem sententiam ratam habemus atque Nostra Apostolica potestate sequentia  
decernimus. Ab Oyoënsi dioecesi distrahimus territorium regionis civilis « Osun » nuncupatae, exceptis districtibus  
civilibus « Aiyedade, Aiyedire, Irewole, Iwo et Ola-Oluwa »; ex eoque novam condimus dioecesim *Osogboanam*  
appellandam, quam metropolitanae Ecclesiae Ibadanensi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro  
Gentium Evangelizatione subicimus. Praeterea Episcopi sedem ponimus in urbe « Osogbo » atque templum ibidem  
exstans, Deo in honorem sancti Benedicti dicatum, ad dignitatem cathedralis ecclesiae evehimus; cetera vero secundum  
canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus ad effectum adducet Venerabilis Frater Carolus Maria Viganò,  
Archiepiscopus titulo Ulpianensis atque in Nigeria Apostolicus Pronuntius, qui, re acta, curabit documenta conficienda  
sincerisque exemplis ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione cito mittenda. Hanc denique Apostolicam  
Nostram Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum  
Romae, apud S. Petrum, die tertio mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo quinto, Pontificatus  
Nostri septimo decimo.*

ANGELUS card. SODANO	IOSEPHUS card. TOMKO
<i>Secretarius Status</i>	<i>Congr. pro Gentium Evang. Praef.</i>

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*

Angelus Lanzoni, *Protonot.*

*Apost.*

\*A.A.S., vol. LXXXVII (1995), n. 7, pp. 605-606 © Copyright 1995 - Libreria Editrice Vaticana